



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CLXXXVII. Der Markgraf Ludwig d. ä. bestätigt das Domcapitel, am 5. März 1324.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

Tremmene et Czachowe damus et donamus, dedimus et donavimus perpetuo pacifice possidendam. — Testes hujus rei sunt dominus Nicolaus prepositus in Bernowe, Hinricus Schenke de Schenckendorph, Hermannus de Nebedde, Conradus Vogelsak, Hince de Warmstorph, Hermannus de Wefenik milites nostri, Hinricus Mosolf, Ebele de Blankenburch, famuli nostri et quam plures alii fide digni. Datum Nawen, anno domini millesimo tricentesimo vicesimo tertio, quarte feria ante Symonis et Jude.

Nach dem Originale.

CLXXXVI. Eid eines Bewerbers um die Dompropstei aus der Zeit Rudolpfs von Sachsen, 1323?

Ego N. juro, quod literas supplicatorias vel promotorias super prepositura Brandenburgensi impetranda apud dominum Rudolphum, ducem Saxonie aut quemcunque alium nomine mei vel cujuscunque alterius non procuravi vel procurari laboravi consilio, auxilio vel opere nec scio vera scientia ipsum procurantem vel procurari laborantem eandem, sed dum primo eum scivero, occulte vel manifeste in capitulo ipsum nominabo. Sic me deus adjuvet et ejus sancta evangelia.

Nach einer Copie im alten Copiare.

CLXXXVII. Der Markgraf Ludwig d. ä. bestätigt das Domcapitel, am 5. März 1324.

Ludovicus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie marchio etc. ad nostras aures quernlosa voce lamentabiliter pervenit, qualiter ecclesia Brandenburgensis multorum imperatorum muneribus, beneficiis et libertatibus tunc dotata, nunc multis, qui eam potius defensarent, multa proch dolor incommoda, vexationes, inquietationes sustinet, et alii rapinis et incendiis eam vastant, et, quod deterius est, ipsam et ipsius subditos et eorum bona invadendo et impignorando ac alias in eorum libertate perturbant. Nos igitur eam et ejus subditos et eorum bona in nostra defensione suscipimus, volentes eam, eos et eorum bona, per nos, heredes et successores nostros ac nostrorum heredum et successorum nostrorum officiatos quoscunque et subditos tueri et defendi (sic) et speciali libertate gaudere in nostre, heredum et successorum nostrorum animarum remedium sempiternum. Eidem ecclesie, ejus personis et subditis plenariam libertatem tenore presentium damus et sollempni donatione donamus et appropriamus, quod nec deinceps nostri, heredum et successorum nostrorum capitanei, advocati, bedelli, venatores, nuntii, subditi nec quisquam cujuscunque conditionis vel status extiterit, nostri, heredum et successorum nostrorum nec aliquo predictorum nomine in prefata ecclesia nec in ejus personis, iudiciis spiritualibus et temporalibus, juribus, consuetudinibus, villis, vassallis, hominibus, subditis nec eorum rebus et bonis hospitando, exactionando, impignorando nec pretextu cujuslibet occasionis debiti, petitionis, contributionis, nec quibuscunque angariis, perangariis, precariis, servitiis, preceptis nec mandatis se intromittant nec hujusmodi in suis munitionibus pignora venire permittant nec intra nec extra recepiant aliquomodo, nec dictam ecclesiam, ejus personas, judicia, jura spiritualia et temporalia, consuetudines, villas, vassallos, homines, subditos nec eorum bona vastent, vexent, inquietent, molestant, perturbent, prejudicent nec dampnificent ullomodo. Et si quis predictorum cujuscunque conditionis vel status extiterit

in premiis aut aliquo premiis contrarium fecerit, is nomine ejusdem ecclesie absque nostri, heredum et successorum nostrorum contradictione et indignatione qualibet ad restituendum, refundendum seu satisfaciendum sepedicte ecclesie per censuram ecclesiasticam poterit libere coerceri. Ne autem hec in posterum aut oblivio aut importunitas malignantium infringat, sed ut predicta omnia et singula inviolabiliter observentur, presentem literam ex certa nostra scientia conscriptam dari fecimus et in evidens testimonium nostri sigilli munimine jussimus roborari. Testes hujus rei sunt spectabilis vir, dominus Bertoldus, comes de Hennenbergh, nobilis vir dominus Hinricus, comes de Schwartzenburg, nostri avunculi dilecti, honorabilis vir dominus Segherus, prepositus Stendaliensis, curie nostre prothonotarius, Gerhardus de Kerko et Bertoldus de Buzt, milites nostri, cum aliis fide dignis. Actum et datum Brandenburgi, anno domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto, dominica Invocavit.

Nach dem Originale.

CLXXXVIII. Der Markgraf Ludwig d. ä. schenkt dem Domcapitel das Dorf Guten-Paaren, am 1. Jan. 1326.

Nos Lodewicus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie marchio, comes palatinus Reni, dux Bavarie, sacri imperii archicamerarius, fatemur literas per presentes, quod in recompensam et restaurum impensarum, quas honorabilis vir, dominus prepositus ecclesie Brandenburgensis sustinuit et fecit, in causa, quam dominus archiepiscopus Magdeburgensis nostris subditis et terris movit, cui quidem cause dictus dominus prepositus usque in finem triumphi laudabiliter preluit, dedimus sollempniterque donamus in perpetuum villam Parne, sitam prope Roschowe, ecclesie Brandenburgensi perpetuo sine omni molestia nostri et successorum nostrorum pacifice possidendam, nichil juris in eadem villa et attinentiis ville ejusdem penitus reservantes, sed omni juri, quod in ipsa habuimus, per presentes litteras sollempnitate debita renunciamus in toto et in parte. In cujus rei testimonium etc. Presentes fuerunt nobiles viri dominus G(untherus) et Adolfus comites de Lindow, H(ermannus) de Wolcov, Hinricus de Slaberndorp, Ericus de Wolcow milites nostri, Hermannus de Luchow noster notarius cum aliis fide dignis. Datum Bernowe, anno domini M^o. CCC^o. XXVI in circumcissione ejusdem.

Nach dem Originale.

CLXXXIX. Heinrich Propst und das Capitel zu Brandenburg und Eberhard Propst zu Berlin bekunden, sich und dem Brandenburgischen Clerus über längere Zeit stattgefundenene Streitigkeit mit dem Domcapitel zu Magdeburg ausgesöhnt zu haben, welchem letztern sie 200 Mark Silbers zu zahlen versprechen, am 21. Juli 1326.

Nos henricus, dei gratia Brandenburgensis Ecclesie prepositus Totamque Capitulum ac Euerhardus eadem gratia Berlinensis prepositus recognoscimus publice in hiis scriptis quod pro reconciliatione inter nos et Clerum Brandenburgensis dyocesis parte ex vna et honorabi-